

Francis Glass, *Washingtonii Vita*

(hg. v. J. N. Reynolds, New York 1842)

CAPUT QUARTUM.

Coloniarum fœderatarum exercituum Washingtonius imperator. – Ad Congressûs præsidem responsum. – Cantabrigiam proficiscitur. – Expositio, à Congressu prius exarata, coram militibus recitata est. – Ordinum omnium amor patriæ. – Bostoniæ obsidio. – Bostoniam vacuefaciunt Britones, apud Neo-Eboracenses bellum gesturi.

WASHINGTONIUS, vicem civitatis Virginiensis, in coloniarum fœderatarum Congressu, gerens, ad Americani exercitûs summum imperium, nemine contradicente, electus est; stipendium quoque ei à Congressu quam amplissimum decretum; quod, tamen, strenuè detrectavit. Responsi ejus ad Congressûs præsidem hæc fuit sententia. “Domine præses, Etsi verè sentio, quam valdè hâc designatione me honore extuleritis, tamen, magnopere vereor, ne animi vires, ususque rei militaris,¹ imperium tam magnum, tamque latè divisum exæquare haud possint: quoniam, tamen, ita vult Congressus, ad grande munus me ipsum accingam. Summis porrò viribus, ne civium jura causaque decora imminuantur, enitar. Gratias quam maximas civibus ex animo habeo, ob pignus hoc insigne in me amoris. Sed ne quis casus infaustus, qui famam [p. 45] nomenque in discrimen ferat, mihi eveniat, omnes, qui adsunt, hodie monitos velim, me, imperio, quo honestatus sum, vires inferiores esse confiteri. Quoad stipendium, Domine Præses, Congressum certiolem fieri volo, quum, nullâ pecuniæ aviditate inductus, imperium tam arduum acceperim, tantumque otii privati et felicitatis dispendium fecerim, ita, ex designatione meâ, lucrifacere prorsus à me alienum esse. Sumptuum rationem,² quam verissimè potero, tenebo: – Pecuniam, quam in commoda publica, necessariò impenderim, mihi, ut spero, cives mei persolvent: hoc mihi sufficit, nec Congressum largiora flagito.”

Postridie ejus diei, diploma speciale,³ à Congressu fœderatarum coloniarum Washingtonio datum, in quo, præcipuè cautum erat, ne quid detrimenti libertas Americana caperet. Simul à Congressu decretum, “se Washingtonium omnibus facultatibus fortunisque adjuturos, in libertate Americanâ sustinendâ.” In mandatis erat, exercitum ordinare et disponere prout ei utilissimum factu videretur; simulque cavere, ne jura Americana [p. 46] imminuantur: – Sub Julii mensis initium, Washingtonius Cantabrigiam apud Novanglos profectus est, ut exercitus Americani imperium capesseret.

Consilia Publica Novi Eboraci, et Massachusetts, ei de imperio gratulabantur. Cum ad castra Cantabrigiensiâ pervenisset, summo gaudio, lætitiâque, ab exercitu receptus. Copias regias in colle Bunkerio consedissee, tribusque propugnaculis innatantibus munitas, colonicas vero collibus tribus vallum aggeremque præduxisse invenit. Cum copiæ colonicæ solito agrestique vestitu ad castra accessissent, chlamyde venaticâ, æquabilitatis causâ, eas indui jussit. Washingtonius magnum hominum numerum ratione castrensi malè institutum, armis bellicæ apparatu haud bene instructum, comperit. Præterea, machinarum bellicarum artifices, instrumentaque cujuscunque generis ad propugnacula faciendâ, illis defuerunt. Exercitus, porrò, ex tam variis ducibus provinciisque compositus, ad disciplinam militarem ægerrime traductus. Duces audaces, hostilitatis⁴ initio, sese insigniverant, deductoresque sibi adeo

obnoxios⁵ fecerant, ut à præfectis, nisi suo ipsorum electu constituti fuerint, dirigi volebant. [p. 47]

Hominum liberorum effrenam licentiam disciplinæ militari repentè subjicere, difficultatis prudentiæque erat: quam, tamen, Washingtonius solertiâ mirâ, sibi que ferè propriâ, facillimè coercuit. Copiis recensitis, hæc ad Congressum scripsit; “Ad exercitum conficiendum, eximiam materiem, viros robustos, virtutisque indubitatae, et causæ, de quâ certatur, studiosos, hic invenio.” Iisdem literis, belli apparatus, castrensis ornatûs, multorumque quorum indigebat exercitus, inopiam conquestus est. Washingtonius, coram exercitu, expositionem,⁶ à Congressu priùs exaratam, belli suscipiendi causas rationemque exhibentem, recitari et promulgari jussit. Hæcce expositio, sermone forti scripta, locos hos insignes præ se tulit:

“Si homines, ratione præditi, animum ad credendum inducant, naturæ nostræ auctorem divinum, humani generis partem, aliorum possessiones invadere, imperiumque in alios interminatum⁷ exercere, voluisse; Deique optimi maximi infinitam sapientiam bonitatemque, alios justæ dominationi addictos, obstrictos, deditos, aliis tradere statuisse; harum coloniarum accolæ indigenæque, à Senatu Anglico, aliquod indicium, quod, tyrannidem hanc diram Anglis præcipue datam [p. 48] demonstret probetque, certè postulare summoque jure petere debent: – At Creatoris magni observantia cultusque, humanitatis effata, sensûs communis præcepta, omnes, qui istis de rebus, unquam cogitavêre, evincunt, imperium, ad generis humani salutem provehendam, felicitatemque augendam promovendamque, antiquitûs a Deo institutum fuisse. Senatus, autem Britannicus, immoderatâ imperii libidine incensus, quam justitiæ non solùm adversam, sed ne regni quidem ipsius Anglici formæ consonam esse novit, successumque felicem, in genere quovis certaminis, in quo justis verique ratio habita sit, desperans, colonias hasce vi in servitutem redigendi consilium crudele cepit, inivitque: nosque ad extremam armis propulsandi à cervicibus nostris gladios districtos necessitatem compulerunt. Tamen, quantumvis Senatus iste, præ nimîâ imperii aviditate, cæcutiat, jusque et hominum existimationem contemnat, nosmetipsos, ob amorem in gentes reliquas, ad causæ, quâ versamur, justitiam exponendam impelli arbitramur.”

Hæcce expositio audax et perspicua, sexto Julii die, Christi anno millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, Philadelphîæ data,⁸ et à Joanne Hancockio, et Carolo Thomson, subscripta. Ille Congressûs præses, hic autem à secretis⁹ fuit. [p. 49]

Eodem ferè tempore, coloniæ inter se concordîâ mirâ consentiebant. Amor patriæ ordines omnes, cujusque ætatis homines incitavit: præjudicia etiam religiosa insigni patriæ studio superabantur. Tremebundorûm¹⁰ adolescentes plurimi ad cœtus militares sese aggregaverant. Nec studium hocce libertatis communis tuendæ viros magis quam fœminas tenebat: conventu, enim, fœminarum comitatus¹¹ Bristolienensis apud Pennsylvanos habito, pecuniæ satis grandis summa, ad conscribendam instruendamque legionem, confecta et coacta fuit. Hujus legionis militibus conscriptis et in unum coactis, nurus¹² ab reliquis delegata est, quæ vexillo splendido, emblematis aptis ornato, legionem donaret. Eodem tempore, orationem vehementem apud legionem habuit, sicque præfectos militesque effata dicitur: “Ne Columbi terræ dominarum vexilla deserant, nisi nurus Americanas nomina inter milites dare et profiteri cupiant.”

Exercitus, cui præfectus Washingtonius, ex quindenis ferè hominum millibus constabat. Sextilis die quarto, pulveris nitrati apud colonos, et [p. 50] provinciarum quatuor inter Novanglos armamentaria publica, copia omnis ferè absumpta fuerat. In hoc statu egeno, exercitus per hebdomadas duas permansit. Etsi ad legiones supplendas, exercitumque conficiendum conflandumque, vehementissime elaboratum, enixæque sudatum fuerat, legiones, tamen, haud suppletæ. Causæ plurimæ aversionem hanc à nomina¹³ profitendo

procreabant. Exercitus mala multa perpessus, fomitis¹⁴ vis exigua; vestium nec non cibariorum copia satis larga ad frigus famemque arcendum militibus haud suppetebat. Variolæ¹⁵ multos à nomina dando absterrebant. Causa, autem, præcipua militiam detrectandi à re militari aversatio fuit. Ut legiones faciliùs explerentur, munificentia¹⁶ amplioris, in milites conscribendos, periculum¹⁷ suasit Washingtonius: cujus consilio, tandem, sub Januarii mensis finem, anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto ab Christo nato, coloniarum fœderatarum Congressus obsecundavit. Hoc et insequenti mense, exercitus multum militum numero adauctus. [p. 51]

Eodem tempore, obsidione cingebatur Bostonia, Britonesque oppido inclusi erant: quæ, tamen, obsidio cives Americanos spe longè fefellit: tantas, enim, copias, omni bellico instrumento apparatuque, et armorum genere omni instructas ornatasque arbitrabantur: fama, namque, copias, quibus præpositus Washingtonius, triplò regiis majores esse ferebat. Vera copiarum multitudo, bellique instrumenta, quibus male ornabantur, Britones¹⁸ sedulò celabantur. Cives vehementiâ quadam mirâ, moræque impatientiâ, copias regias Bostoniâ expulsas jampridem spectare avebant: idque spectaculum tam gratum pariter voluit Washingtonius; curâ, autem, prudentiâque sibi opus esse meritò duxit. Commoda, quæ ex præclaro aliquo facinore, ad cansam communem, quâ versabatur, proventura essent, animo prospexit; nec,¹⁹ se inertia ignaviaque ab nonnullis insimulari, imperiumque sibi à Congressu creditum prolatare, et in longum,²⁰ sui commodi gratiâ, bellum trahere se velle, à quibusdam dici, nesciebat. Hæc civium murmura [p. 52] æquo animo tulit, Bostoniamque versus animum intentum habuit, et occasionem copias regias ultrò invadendi ex animo²¹ quæsivit.

Tandem Britones Bostoniam reliquisse, Halifaxque copiis omnibus contendere, certior factus. Bostoniâ ab Anglis desertâ, eam Washingtonius copiis omnibus, magno civium gaudio, intravit. Oppidani, acerbitatibus præsidario²² de more vitam agendi, variisque contumeliis, quibus obnoxii fuerant, liberati solutique, Washingtonium liberatorem et servatorem consalutant. Coloniarum quoque fœderatarum Congressus ei gratias agendas esse decrevit. Vacuefactâ à Britonibus Bostoniâ, ordo seriesque rerum in meliùs mutabantur, Washingtonii, autem, laboribus interim haud imminutis Cum hostibus deinceps longè potentioribus confligendum erat. Exercitus enim Anglicanus, apud Bostonienses, nil aliud præter metâs Massachusetts Provinciæ injectionem sibi voluit. Bellum, autem, anno millesimo septingentesimo septuagesimo sexto ab Christo nato, apud Neo-Eboracenses longe amplissimis copiis quas vidit unquam antea terra Columbi,²³ geri cœptum. Classis exercitusque [p. 53] Anglicanus ex quinquaginta quinque hominum millibus tunc temporis constabant, cunctasque colonias fœderatas in regiam potestatem redigendi, armisque pacandi, consilium inière. [p. 54]

¹ *Ususque, &c.* “And experience in the art of war.”

² *Sumptuum rationem.* “An account of expenses:” his disinterestedness induced him to decline all pecuniary compensation, save and except indispensable expenses: these, he trusted, his country's munificence would eventually discharge.

³ *Diploma speciale,* “a special or particular commission;” Washington's commission was dated June 17, 1775, and signed by Peyton Randolph, as president, and Charles Thomson, as secretary, of the Congress of the United Colonies; it was resigned to Congress, from whom it emanated, at Annapolis, in 1783.

⁴ *Hostilitatis*: “hostility;” this noun, although good Latin, is not used by any classic, to my recollection, with the exception of *Seneca*: being derived from *hostis*, which anciently signified, a *foreigner*.

⁵ *Obnoxios*, “attached to their persons.”

⁶ *Expositionem*, “a declaration, or exposition,” setting forth grievances, &c.

⁷ *Interminatum*, “unlimited” or “boundless” power.

⁸ *Data*, “dated,” thus Cicero, *datum pridie Id. Jun.* Literally, “given.”

⁹ *A secretis*, “a secretary:” thus, *a libellis*, a master of requests, &c.

¹⁰ *Tremebundorum*, “Quakers,” or, as they are sometimes called, *friends*; a class of people, who, for moral integrity and strict observance of the duties which adorn the human character, would do honor to any system of faith; it must be confessed, however, that they do not, *generally*, encourage *classic literature*, or in fine, any department of the *belles lettres*.

¹¹ *Comitatûs*, “a county,” from *comes*, “an earl or count.”

¹² *Nurus*, properly, a son's wife, a daughter-in-law, but in this passage it means “a young married lady.”

¹³ *Nomina dare vel profiteri*, “to enlist or enrol themselves as soldiers.”

¹⁴ *Fomitis*, “fuel, wood, &c.,” so called from *foveo*, “I cherish,” because fuel cherishes and feeds the fire.

¹⁵ *Variolæ*, “the small-pox,” so termed from the active verb *Vario*, I vary, or diversity, from their variegated and chequered appearance on the surface of the human body. N. B. This word is of *modern latinity*.

¹⁶ *Munificentia*, “bounty to soldiers.”

¹⁷ *Periculum*, “experiment,” trial, or essay.

¹⁸ *Britones*. “Were carefully concealed *from* the British.” See what has been said in a preceding note, on certain *passives* governing an accusative case. The construction is, *secundum* or *quoad Britones*.

¹⁹ *Nec*, &c. “Nor was he ignorant that he was accused by some of inactivity and cowardice, and that it was said by certain persons, that he wished to protract the command intrusted to him by Congress, and to lengthen out the war for the sake of his own advantage.”

²⁰ *In longum*, (*tempus*, seu *spatium*), “for a long space of time.”

²¹ *Ex animo*, “from his heart,” “cordially, heartily.”

²² *Præsidario*, “of living after a garrison fashion;” of leading a garrison life; the noun adjective, *præsidarius*, is derived from the substantive *præsidium*, “a garrison,” guard, or defence.

²³ *Terra Columbi*, “the land of Columbus;” by this we understand the United States of North America, and not the other discoveries in the West Indies and elsewhere, of that most enterprising and distinguished navigator.